

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2077

Auteur(s) : Eudes Rigaud, Rouen (archevêque)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1249, 8 mai

Lieu d'émission : Déville-lès-Rouen

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Eudes Rigaud, en contestation avec Michel le Bicaud et Geoffroy, son fils, à l'occasion de certaines terres achetées par eux, de Richard Goubert, au prix de cent quarante livres tournois, et que les derniers archevêques réclamaient comme étant du droit de l'église de Rouen, choisissent pour arbitres de leur différend l'abbé de la Croix-Saint-Leufroy, maître Guillaume, archidiacre du Vexin français, auxquels sont adjoints maître Guillaume Landri, chanoine de Rouen, et Amauri de la Lieue.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CLXXX, p. 217-218.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, frater Odo, permissione divina, Rothomagensis ecclesie minister indignus, salutem eternam in Domino Jhesu Xpisto.

Noveritis quod inter nos, ex una parte, et Michaelem le Bicaud et Gauffridum, ejus filium, ex altera, contencio verteretur super quadam terra sita apud Locumveris et dicte terre appendentiis quam possidebat Ricardus Gouberti, ratione uxoris sue defuncte, quam terram dictus Michael et ejus filius emerant, ut dicebant, pro centum quadraginta libris Turonensium a quodam ad quem devenire debebat dicta terra, ut dicebatur, predicto Ricardo maritato vel mortuo, et predecessor noster predictam terram in manu sua saisisset et habere eam vellet, ut pote quia de jure ecclesie sue erat, nec ad eos aliquo jure propinquitatis poterat pertinere, et maxime cum tempore venditionis venerabilis pater P., Dei gratia, Albanensis episcopus, tunc temporis archiepiscopus Rothomagensis, absens in remotis ageret et in carcere sisteret, et protestatum fuisset a senescallo terre in plena assisia, cum carte venditionis legerentur, quod post reditum ejus terram haberet si vellet pro precio, et dominus O., bone memorie, predecessor noster, precium venditionis terre predictae infra cartam confirmationis sue dicto Michaeli obtulerit, locis et temporibus oportunis et tempore illo cedente Richardo dicte terre terram predictam in manu sua tenuerit et spoliaverit quandiu vixit, et nos saisinam predecessoris nostri et totum dominium in manu nostra teneamus et habere velimus, dictis Michaele et ejus filio e contrario dicentibus quod nos eis terram predictam reddere libere debebamus, cum eam emissent a vero herede et in plena assisia, littere venditionis coram senescallo qui tunc erat lecte fuissent et maxime dicto Gauffrido pro se allegante et dicente quod ei nichil unquam oblatum fuerat a predecessore nostro pro dicta terra, cum ipse tantum juris haberet ibidem quantum et pater suus, propter quod dicta oblatio facta patri quantum ad medietatem suam prejudicare sibi non poterat nec debebat, nobis e contrario allegantibus quod si nunquam sibi vel patri suo aliquod oblatum fuisset pro dicta terra modo eciam offerre poterat utriusque de jure cum non sit adhuc annus quod dictus Ricardus fuit maritatus.

Tandem, interveniente bonorum virorum consilio, nos et dictus Michael et filius ejus super contentione predicta amicabiliter compromisimus in venerabiles viros abbatem de Cruce Sancti Leufredi, diocesis Ebroicensis, et magistrum Guillelmum, archidiaconum ecclesie nostre in Wlgassino Francie, in hunc modum : Videlicet, quod ipsi, inquisita super premissis diligentius veritate, cum consilio et assensu magistri Guillelmi Landrici, canonici Rothomagensis, et domini Almalrici de la Lieue, dicant et ordinent et disponant super dicta contentione quod viderint expedire, et nos dictum sive ordinationem quam ipsi duo arbitri cum unanimi consilio predictorum facient promissimus inviolabiliter observare, nec aliquo tempore contravenire ; quam ordinationem sive dictum promiserunt dicti Michael et filius ejus pro se et suis heredibus tenere et observare, fide prestita corporali et sub pena centum marcharum argenti, de quibus dederunt plegios, Johannem dictum Prepositum, de Locoveris, generum dicti Michaelis, Petrum le Bicaut, Johannem le Bicaut, Radulfum le Flament, filios ejusdem Michaelis, unumquemque in solidis et nos similiter illud idem servare et tenere promissimus bona fide pro nobis et ecclesia nostra. In cujus rei testimonium, nos et ipse Michael, pro se et filio suo, sigilla nostra presentibus litteris duximus apponenda.